



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Prætermissi Et In Alios Dies Relati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sanctus Volusianus episcopus hodie Fossis, quod est ditonis Leodiensis supra Namurcum Mosam inter et Sabim oppidum, refertur in Scriptis Cartusie Bruzellensis ad Grevenum Additionibus. Forsan est S. Volusianus Turonensis archiepiscopus, apud nos jam datus die

xviii Januarii.

S. Euphrasie virginis martyris hodie meminit Grevenus. Duæ potissimum celebrantur nominis hujus Christianæ heroides, quarum altera Nicomedia in Bithynia, altera Ancyra in Galatia pro fide certavit. De alterutra, ni fallar, loquitur Grevenus; verum de priori actum apud nos jam est ad diem

xix Januarii;

de posteriori vero ad

xviii Maii.

B Dedicatio majoris seu metropolitanæ, quam de Columna dicunt, ecclesie Cæsaraugustanæ hodie in Martyrologio Hispano memoratur a Tamaiio, qui quamvis, ut hanc a S. Jacobo apostolo ædificatam probet, adulterina Flavii Dextri et M. Maximi Chronica in Annotatis subjectis perperam adducat, esse tamen admodum antiquam, recte existimaris vel ob id solum, quod sacri istius ædificii aut, si mavis, grandioris supra id jam vetustum extructæ S. Salvatoris basilicæ dedicationem eadem, qua Tamaius a se memoratam, hodierna die signat, instrumentum publicum, a nobis in Actis S. Valerii num. 21 allegatum ad diem, qua de sancto isthoc Cæsaraugustano episcopo cum Martyrologio Romano hodierno egimus.

xxviii Januarii.

S. Walburgis virginis translatio hodie refertur in perantiquo Ms. Richenbergensis prope Eystadium monasterii Martyrologio; verum de sancta ista virgine et abbatisa, ejusque ibidem relata, quæ in Mss. Cartusie Bruzellensis ad Grevenum hodiernis Additionibus Elevatio vocatur, translatione actum apud nos jam est

xxv Februarii.

C S. Harlindem virginem Grevenus, a quo interim Martyris titulo perperam afficitur, in suis ad Usuardum Additionibus, Molanus in Sanctorum Belgii Natalibus, Ferrarius in Generali Catalogo aliique plures hac xii Octobris celebrant; id autem indubie faciunt ob peculiare festum, quo, ut constat, Sancta illa tunc Mosaci gaudet. Verum, etsi sic habeat, ac porro Renildis seu, uti etiam vocatur, Renula, ejus soror, quacum insuper et ad xvii Februarii diem nonnullis Fastis sacris exstat inscripta, ibidem pariter posteriori isthac die colatur, haud tamen vel tunc seu Renulam solam seu hanc simul et ejus sororem Harlindem in Opere nostro dandas, vel in diem hodiernum differendam hanc postremam, decessores nostri duxerunt; sed simul de duabus istis Virginibus abbatissis, quarum altera post alteram Aldeneikense in comitatu Lossensi monasterium, a parentibus suis Mosaco haud procul extructum, rexit, egerunt ad diem, qua ob duplicem reliquiarum translationem præcipua utriusque solemnitas agitur,

xxii Martii.

S. Eustasii, Luxoviensis abbatis, hodie Wionus in Ligno Vitæ, et Maurolycus, qui eum Eustathium vocat, in Martyrologio meminere. Nos de eo jam egimus ad diem, quo pluribus aliis Fastis sacris ipsique etiam Martyrologio Romano hodierno exstat inscriptus,

xxix Martii.

In Aquitania S. Geraldii abbatis et confessoris memoria a Greveno hodie celebratur, idemque a Walassero in Martyrologio Germanico fit. Sermo est, uti e brevi, quod subdunt, Sancti hujus encomio liquet, de S. Geraldo abbate, Sylva-Majoris in Aquitania fundatore, de quo in Opere nostro jam actum ad diem

v Aprilis.

S. Walfridus seu potius Wilfridus, primus Eboracensis in Anglia archiepiscopus, hodie in multis, quos hic recensere necesse non est, Fastis sacris ac in ipsomet Martyrologio Romano hodierno annuntiatur; verum, etsi Sanctos iis diebus, quibus in hoc memorantur, soleamus in Opus nostrum inferre, fuissetque proinde, nostro hoc spectato more, hodie demum in id Wilfridus inferendus, citius tamen id faciendum duxerunt decessores nostri, impulsu causis, quas expositas invenies ad diem, qua de Sancto illo Eboracensi archiepiscopo jam tractarunt,

xxiv Aprilis.

Romæ sancti Cleti Papæ hodie in Maurolyci Martyrologio legitur; verum nos de sancto illo Pontifice Romano et martyre cum Martyrologio Romano hodierno jam egimus die

xxvi Aprilis.

S. Gengulphus seu, ut ab aliis scribitur, Gangulphus martyr hodie memoratur in Bruzellensi apud Sollerium Usuardino Auctario, seu Martyrologio, sub nomine Usuardi aucto; ast de sancto isto Lingonensis dioceseo Martyre actum apud nos jam est ad diem, quo pluribus aliis Fastis sacris ac ipsimet Martyrologio Romano hodierno exstat insertus,

xi Maii.

S. Eustachium seu Eustathium episcopum et confessorem genere Pamphylium in suo Sanctorum Calendario hodie memorat Felicius. Nos de sancto isthoc Patriarcha Antiocheno cum Martyrologio Romano hodierno jam egimus die xvi Julii. Apud Apamiam beati Marcelli episcopi et martyris, qui, cum tempore Theodosii Senioris multa idolorum templa diruisset, a paganis tentus pro confessione nominis Christi martyrio coronatus est, hodie recolitur a Greveno; hanc autem ejus annuntiationem, quam Maurolycus contraxit, e lingua Latina in Germanicam vertit, integramque in Martyrologio a se contextum, intulit Walasserus; verum, qui illa designatur, alius non est, quam Marcellus, Apameæ in Syria episcopus, in odium fidei a furentibus ethnicis anno Christi ccclxxxix vel circiter occisus, Operique nostro jam infertur ad diem, qua in Martyrologio Romano hodierno memoratur, scilicet

xiv Augusti.

Senis in Tuscia S. Crescentii martyris et urbis protectoris. Ita hodie Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano hodierno

hodierno

- A hodierno non sunt, etsi interim in hoc, contra ac inde astimes, locum etiam verbis illis memoratus Martyr, utpote non alius, quam Crescentius puer, S. Euthymii filius, Romæ in persecutione Diocletiani passus, Senisque, quo sacræ ejus exuviaz translata fuerunt, colit hodie quotannis solitus, obtinere sibi, uti ipsemet in Notis suis Ferrarius observat, inveniatur ad diem, qua proinde in Opus nostrum jam fuit illatus, XIV Septembris.
- S. Nicetæ Patricii hodie meminit in Catalogo generali Ferrarius; in Annotatis autem, quæ subdit, Græcorum pro se citat tabulas. Verum ego nullas, quæ Nicetæ Patricii mentionem hodie faciant, Græcorum novi tabulas. S. Nicetas Patricius, qui in pluribus Græcorum Fastis ad VI Octobris diem, in Opus nostrum idcirco tum etiam illatus, occurrit, iterato XIII Octobris die (nequæ enim ut alium hac, alium sexta Octobris die Nicetam memorari credamus, permittunt posteriori isthac die a nobis de Niceta Patricio allegata) in Menais et Menologio Sirlletiano comparet. Quare, hallucinatum hic esse Ferrarium diemque Octobris duodecimam pro tertia decima, qua in Græcorum tabulis Nicetam signari, litteris mandatum invenit, perperam legisse, existimamus, eo etiam impulsus, quod a Baronio, cujus ecclesiasticos ad annum 731 Annales pro instituto suo laudat, Nicetas Patricius, etsi ibidem haud recte sub Leone Isauro signatus, in Sanctorum album, non XII, sed XIII Octobris die relatus asseratur. Jam vero, cum hæc sic habeant, Nicetas Patricius, a Ferrario hodie, sed e jam dictis perperam, memoratus, verosimillime, imo indubie alius non est, quam Nicetas Patricius, in Opere nostro jam datus die VI Octobris.
- S. Leobarina virgo, sub Juliano apostata martyrium passa hac die, qua colitur, in Lotharingia a Castellano in Martyrologio Universali signatur. Sancta isthac Virgo et Martyr, quæ communius Libaria, Gallicæ Libière aut etiam, saltem in Campania Gallica, Livière, nuncupatur, Susannæ virginis apud nos in Prætermisssis ad VIII Octobris diem relatæ, soror a nonnullis creditur, cultuque ecclesiastico, uti ipsemet Castellanus in Indice Alphabetico Sanctorum ad vocabulum Livière fatetur, gaudet etiam ad diem, qua proinde in Opus nostrum inter Sanctos jam fuit illata, scilicet VIII Octobris.
- S. Libertam Camerarius de Scotorum Pietate hodie recenset; cum autem S. Eliphii Vitam seu Acta mox citet, indubie Libertæ nomine, corrupte ex librorum oscitantia exarato, designatur, quæ in Actis illis, a nobis ad XVI Octobris diem examinandis, occurrit, S. Libaria seu Leobarina, inter Prætermisssas a nobis hic mox relatæ, ac jam data inter Sanctos ad diem, qua etiam colitur, scilicet VIII Octobris.
- SS. Taracus, Probus et Andronicus martyres hodie in Græcorum Menologiis Sirlletiano et Basiliano, Magnis Menais excusis aliisque Fastis sacris memorantur. Nos de præstantissimis illis fidei Christianæ Athletis jam pridem egimus ad diem, XI Octobris.
- Civitate Meldis beati Schynni, episcopi et confessoris, in Florario nostro Ms. et Lubeco-Colonien-
- si apud Sollerium Usuardino Auctario hodie legitur; hisce autem sic consonat Grevenus, ut tamen Schynnum non Beati tantum, sed Sancti etiam titulo condecoret. Verum quis hic Schynnus Meldensis episcopus? Per hunc, cum episcopum et confessorem, qui Schynnus fuerit vocatus, ecclesia, Meldensis nullum noscat, verosimillime, nomine Schynni pro Sanctini corrupte exarato, haud designatur alius, quam ipsemet Sanctinus, Meldensis episcopus, hodie etiam Meldis in Centulensi apud Sollerium Usuardino Auctario discrete annuntiatus, aliquando cultus, et Operi nostro jam insertus ad diem, quo ibidem modo colitur, XI Octobris.
- S. Canticus, abbas Scotus, hodie refertur in uno alterove penes nos exstante Ms. Calendario Hibernico seu Scotico. Haud dubie designatur S. Canticus, Kill-kenniensis in Ossoria, Hiberniæ seu Antiquæ Scotiæ provincia, abbas, apud nos jam datus ad diem, qua paucis hisce verbis, In Scotia S. Cannici abbatis, insertus Martyrologio Romano hodierno exstat, XI Octobris.
- Beturi, Casi, Pilonis hodie post Callisti Papæ Saturique ejus socii annuntiationem legitur in Epternacensi apud Florentinum Hieronymiano apographo; verum, cum Sancti tres, quorum primo Beturi, secundo Casi ac tertio denique Pilonis nomen sit, alibi nusquam memorati inveniantur, viz ac ne viz quidem dubitandum apparet, quin librarius, cum in prælucente sibi, quod transcribebat, Hieronymianorum exemplari, perinde fere ac in Lucensi horum apud eundem Florentinum apographo, invenisset exaratum Bituricas Sti Opolionis aut Oponis, e tribus hisce posterioribus vocibus, quod characteribus lectu admodum difficilibus partimque haud satis et partim nimis invicem sejunctis scriptæ essent, suam Beturi, Casi, et Pilonis annuntiationem efformavit; adeo ut censendus non sit tres hac memorare diversos, sed unum Opinionem, Sanctis Hieronymianis ab antiquario Gallico, ut Florentinus merito censet, hodie adjectum; quem nec ipsomet postulare sibi inter Sanctos in Opere nostro locum, e jam nunc dicendis intelliges.
- Opionis aut, ut etiam, etsi, ut puto, perperam, scribitur, Opinionis memoria vel absque vel cum Presbyteri titulo Bituricis seu apud Bituricas in pluribus, quæ apud Florentinum, Dacherium, Marteneum et Sollerium exstant, Hieronymianis tam contractis, quam majoribus apographis, seu potius in horum, ut, quod res est, dicatur, Auctariis, hodie signatur idemque in Appendice ad Adonem et in non paucis apud eundem Sollerium Usuardinis, in quorum nonnullis, non Opionem, sed Epion vocatur, Auctariis etiam sit; verum, etsi sic habeat, ac porro Saussayus, Ferrarius et alii recentiores hagiologi hæc secuti Opionem hodie celebrent, nusquam tamen ejus vel Ado vel alius quisquam ex antiquis, quos Classicos vocamus, martyrologis mentionem instituit, id autem apparet sane perquam mirum. Anne forsitan Ado aliique hunc seu secuti seu prægressi hagiologi Opione antiquiores sunt hincque adeo commemorare haud potuerunt? Minime vero: Epternacense etenim Hieronymianum apographum, quod sibi modo

A

modo supra exposito ab antiquario Gallico adjectum Opionem complectitur, sub VIII seculi initium, ut Sollerius in sua ad Usuardum Præfatione docet, fuit conscriptum, isque proinde haud serius, quam seculo VII, quo Adonem aliosque jam memoratos martyrologos classicos, posteriores esse constat, verosimillime floruerit. Crediderim itaque, Opionem abs hisce haud memorari, quod eum vel non satis habuerint notum, vel Hieronymianis apographis, non ob venerationem, qua gauderet, sed tantum ob celebre, quod obtinuerat, sanctitatis nomen adjectum existimant. Ut sit, cum equidem alterutram ob causam Hieronymianis Sanctis, quos veneratione, Sanctis propria, seculo VI seu Gregorii Magni Papæ ætate fuisse affectos, ex hujus ad Eulogium Alexandrinum epistola, a Sollerio in sua ad Usuardum Præfatione num. 22 memorata, constat, adjungit Opion potuerit, fueritne id ob venerationem, ei impensam, an ob celebrem sanctitatis famam, factum, est incertum ac proin an jam inde a seculo VIII initio, quo, quod eum sibi adjectum habet, Epternacense Hieronymianum apographum exaratum e jam dictis fuit, veneratione Sanctis propria fuerit gavisus, incertum pariter est. Nec nobis hactenus, an veneratione hujusmodi vel unquam post fuerit affectus, vel modo saltem seu Bituricis seu alibi afficiatur, magis est certum. Inter Sanctorum Bituricensium Vitas, quas Labbeus, tom. 2 Bibliothecæ Mss. exhibet, nulla omnino, quæ ad Opionem spectet, occurrit. Eum quidem, quem Gallice Opion aut Pion nuncupant, Catharinus in Bituricensi a se contexto Sacerdario refert; verum præterquam quod haud omnes, quos in hoc recenset, veneratione Sanctis propria seu cultu ecclesiastico gaudeant, id certe de Opione non habere locum, argumento est, quod is nec in Sanctorum, quæ in diocesi Bituricensi festis propriis coluntur, Ms. penes nos exstante Catalogo, nec in Ms. itidem penes nos pariter exstante, quod Sanctos e Bituricensi anno MDCCXXV excusi Breviarii præscripto colendos complectitur, Calendario usquam compareat. Accedit, nec ullam usquam, quæ Deo sub Opionis nomine dedicata sit, ædem sacram, nec aliud qualecumque cultus sacri, qui Opioni vel deferatur, vel delatus aliquando fuerit, reperiri indicium; quare, cum hæc sic habeant, nos ei, qui præterea Martyrologio Romano hodierno nusquam exstat inscriptus, in Opere nostro locum inter Sanctos tribuendum hactenus haud arbitramur; id interim loco opportuno facturum, si quando de cultu ejus legitimo ac sat diuturno sufficienter constiterit.

B

Focei episcopi hodie meminit Epternacense apud Florentinum Hieronymianum apographum; verum, cum episcopus, Focens nuncupatus, in aliis seu Fastis sacris seu monumentis haud occurrat facileque fieri queat, ut librarii, dum manuscripta antiqua, lectu difficilia, transcribunt, characterum seu confusione seu ambiguitate decepti ce pro ec vel contra exarent, litteramque i in o mutant, quammixime propendeo, ut credam, in dicto Epternacensi apographo per episcopum, cui Focci nomenclatio tribuitur, designari Sleptensem episcopum, nomine Fiecum, S. Patricii Hi-

C

bernorum apostoli discipulum, Martyrologio Tam-lactensi, ut Colganus in Thaumaturga sua SS. Patricii, Brigidæ et Columbæ Triade loco non uno affirmat, hac ipsa die, qua etiam hic infra inter Sanctos in Opere nostro dabitur, inscriptum. Nusquam quidem vel ipsemet Patricius vel alius ex ejus seu sociis seu discipulis Epternacensi Hieronymiano apographo reperitur adjectus; ast, ut huic adjiceretur Fiecus, particularis quæpiam ratio, quæ nos latet, potuit efficere. Ut sit, Focens episcopus, nisi unus idemque cum Fieco jam dicto sit, tam parum nobis est notus, ut ei, qui præterea non ob venerationem sibi delatam, sed dumtaxat forte ob celebre sanctitatis nomen Hieronymianis Sanctis fuerit adjectus, locum hosce inter in Opere nostro dare haud possimus.

Bedisti martyris natalem Romæ hodie Notherus, ab Edistio, Ravenate matrye, Sanctorum, quos memorat, laterculum exorsus, tertio, hujus loco signat; etsi autem sic ab Edistio seu, ut etiam scribitur, Hedistio Ravenate Bedistum a se memoratum distinguat, verosimillime tamen, imo indubie, cum martyr, qui vocatus fuerit Bedistus, ex aliis probæ notæ antiquis seu Fastis sacris seu monumentis notus haud sit, per Bedistum, prima hujus littera B per errorem pro littera seu aspiratione H in Ms., quod Nothero præiucit, seu Adonis seu Hieronymianorum exemplari adhibita, designatus in hoc fuerit haud alius, quam ipsemet Ravenas martyr Hedistius, hic infra inter Sanctos a nobis dandus perperamque Romæ, uti ex ibidem dicendis apparet, in Epternacensi Hieronymiano apographo aliisque aliis Fastis sacris adscriptus.

Lucinii et sororis ejus martyrum Grevenus hodie in Usuardo a se aucto meminit; verum hi nec in aliis Fastis sacris compareant, nec nobis, ut in Opere nostro inter Sanctos locum obtineant, satis sunt noti.

Ardanus abbas hodie a Greveno et Florarii nostri Ms. auctore memoratur, nobis nec ex aliis Fastis sacris, nec aliunde notus.

S. Eustachium presbyterum, Burgensium in Italia patronum, Ferrarius hodie Juliæ, nomine isthoc (rectene, an secus, ex iis, quæ apud nos tom. IV Octobris in Commentario, S. Domini martyris Actis prævio, dicta sunt, dispicito) Burgum S. Domini intelligens, in generali suo Catalogo annuntiat; verum vide, quæ infra inter Sanctos de S. Eustachio presbytero, Hieronymianis apographis hodie inscripto, quem abs illo haud esse diversum, arbitramur, sumus dicturi; quod si autem contra, ab Hieronymianorum Eustachio diversum esse Eustachium, Burgensium patronum, nobis forte eruditi Itali solide probarint, agi de hoc se junctim poterit vel in Operis hujus Appendice, vel citius etiam, cum visum id fuerit maxime opportunum.

Rodulphum eremitam et quartum totius Ordinis Camaldulensis Priorem generalem Wionus hodie in Ligno Vitæ memorat, idemque etiam Ferrarius in generali Catalogo, Menardus in Martyrologio et Bucelinus in Menologio Benedictino facientes, Rodulphum præterea Beati titulo exornant, eo verosimillime adducti auctoritate et

fide

A fide Augustini Florentini, qui in *Historia Camaldulensi*, anno 1575 typis Florentinis vulgata, lib. I, cap. 67 sic scribit: Cum... Deus venerabilis Rodulphi sanctimoniam innocentiamque multis signis probare indies dignaretur, pientissimus episcopus (Aretinus nempe, nomine Gregorius) auctor fuit, ut Patres (Camaldulenses scilicet) illi summa religione divinos tribuere ceperint honores atque ceu diocesano pontificio jure inter Sanctos relatum habere. Rodolphus, ut scriptores Camaldulenses *Mittarellius* et *Costadonius*, Augustinum Florentinum ubique fere Fortunium vocantes, in *Ordinis sui Annalibus* tom. 3, anno 1758 publici juris facti, pag. 41 et sequenti docent, anno circiter MLXXXVIII excessit e vivis, episcopusque Gregorius, quem existisse auctorem, ut divinos honores Rodulpho tribuere Camaldulenses ceperint, Augustinus Florentinus seu Fortunius verbis jam datis scribit, Arretinam sedem ab anno MCIV usque ad annum MCXIV occupavit. Quare, cum Augustinus Florentinus seu Fortunius seculo demum, uti e jam dictis pronum est colligere, sexto decimo floruerit, ac proin seculis circiter quinque a Gregorio, Arretini episcopi jam laudati, etate abfuerit, merito sane, an, quæ de divinis seu sacris honoribus, hoc agente, per Camaldulenses Rodulpho deferri ceptis, tradit, veritati consonent, dubitari potest. Et vero, quidquid seu Fortunius seu scriptores quicumque alii de cultu ecclesiastico, qui Rodulpho olim fuerit delatus, memoriae produunt; id totum ipsimet mox laudati scriptores Camaldulenses in *Ordinis sui Annalibus* loco jam citato revocant in dubium, imo tantum non aperte negare videntur. Ibi quidem, statim atque id fecerunt, sequentia adhuc subjungunt verba: Visitur Rodulphi effigies cum insignibus et titulo Beati in aliquibus locis; sed præcipue in ecclesia sancti Donati monasterii Fontis-boni, ubi depictus est cum aliis beatis solitariis Camaldulensis eremi. Verum tempus, quo, quam hic memorant, Rodulphi effigies cum insignibus seu, uti hac voce significatum indubie volunt, cum diademate et radiis depicta ac aliquibus in locis præcipueque in S. Donati, quam laudant, ecclesia fuerit locata, haud exprimunt; quare, etsi quidem tam e servorum Dei imaginibus, cum radiis seu diademate depictis, quam ex earumdem seu cum seu absque splendoribus pictarum, in locis sacris collocatione cultus publicus, Sanctis ac Beatis proprius, inferatur, merito tamen adhuc, an is ante anni MDCXXXIV decretum, quo Urbanus VIII tempus immemorabile, decreto suo anteriori ad cultus, Servis Dei jam delati, continuationem requisitum, ad temporis spatium, centum annorum metam excedens, restrinxit, centum amplius annis Rodulpho fuerit delatus, potest ambigi; cum autem dubitatio isthæc, quam, quæ de Rodulphi effigie dicuntur, haudquaquam e jam dictis tollunt, nondum etiam argumentis aliis vel sublata vel tolli posse videatur, in Opere nostro inter Sanctos locum quarto isti Ordinis Camaldulensis Priori generali dare haud possumus.

Hæc est

Loth propheta in Hagenoyensi apud Sollerium Usuardino Auctario hodie annuntiat; verum is Martyrologio Romano hodierno haud exstat inscriptus, Operique nostro inserere, quæ honore isto carent, Veteris Testamenti personas, quantumque etiam sanctitate illustres, haud solemus. Eustachium abbatem et Mariam van Dale seu van den Dale, secundam Cisterciensis in Muisen prope Mechliniam cœnobii Priorissam, cum Beati aut Beatæ titulo Chrysostomus Henriquez in *Menologio Cisterciensi* et Bucelinus in *Menologio Benedictino* hodie celebrant; ast nullum omnino cultus publici, qui Eustachio et Mariæ vel modo deferatur vel delatus aliquando fuerit, indicium adducunt. Nec id etiam facit in Beatorum ac Sanctorum Cisterciensium Catalogo Sigismundus Alberti. Ibidem quidem hic Eustachium, qui et Cisterciensi *Kalendario*, anno MDCXVII Divisione excuso, hodie inscribitur, Sancti etiam, quod Henriquez et Bucelinus haud faciunt, appellatione distinguit; verum in Ordinis sui personas, sanctitatis fama illustres, plus æquo frequenter munificus, plures ex iis, quæ cultu ecclesiastico haud gaudere certo noscuntur, honorifica hujusmodi appellatione condecorat; quod autem ad Mariam spectat, hanc ipse, non secus ac Henriquez et Bucelinus, appellat dumtaxat Beatam, melius interim etiam facturus, si abs isthoc pariter titulo ei attribuendo cum Raisio in Auctario ad Molani *Natales Sanctorum Belgii* et cum Chalemoto in *Sanctis ac Beatis Cisterciensibus* abstinisset. Godefridum, primum Arnsteinianum Ordinis *Præmonstratensis* abbatem, hodie cum Beati titulo in *Sanctorum Ordinis ejusdem Natalibus* memorat Chrysostomus Vander Sterre; verum de cultu silet.

Askirus et Cyriacus, itemque Silas apud Jobum Ludolphum in *Æthiopia* Fastis sacris hodie referuntur, nobis aliunde prorsus ignoti, ac proin in Opus nostrum inter Sanctos haud inferendi.

S. Bulagrii hodie mentio fit in Florentino apud Sollerium Usuardi Auctario. Evagrium, de quo infra inter Sanctos sumus acturi, designari puto. Fano Fortunæ dedicatio ecclesiæ cathedralis. Ita hodie in Catalogo generali Ferrarius.

Andream Roberti, apud Montem Pessulanum in Gallia pro fide occisum, Joannem Baptistam, Londini in Anglia pro fide pariter occisum, Angelum a Valentia Guadalagiaræ in Nova Gallia, Gabrielem Posnanix in Polonia, Antonium a Sosa Galdaris in Canaria, Elisabetham Malatestam Urbini, Agnetem a Sancto Dominico Ulyssipone hodie in Martyrologio Franciscano et duas postremas etiam in Gynæceo Arturus a Monasterio, Beati aut Beatæ titulo singulis præfixo, annuntiat; verum nullius cultum probat, titulumque istum ubique omittit Hueberus, qui tamen præter Angelum a Valentia et Antonium a Sosa, quos non secus atque Arturus memorat, plures adhuc alias ab hoc præteritas utriusque secus ex Ordine S. Francisci personas, sanctitate illustres, hac pariter die, in *Menologio Franciscano* recenset; sed non sunt idcirco in Opus nostrum inferendæ.

Moveum

A Moveum abbatem in Scotia Grevenus hodie annuntiat; anne autem is cum Moveano abbate, qui cum Sancti titulo in generali Catalogo a Ferrario VIII Septembris die memoratur, unus idemque haud sit, decessores nostri, hunc in Prætermissis ad diem istum recensentes, dubitarunt. Verum nos, re modo maturius, uti factum iri ibidem promiserunt, examinata, alterum ab altero haud diversum arbitramur. Abbas enim, nomine Movyus, quem Sanctis, e S. Brigide familia seu Eochadii Fini stirpe ortis, Colganus ad XX Januarii in Appendice ad Vitam S. Fechinii accenset dieque Octobris duodecima coli docet, alius indubie non est, quam Moveus abbas, ea ipsa die a Greveno et jam dictis annuntiat; eundem autem abbatem Movyus, quem, nomine isthoc a se distinctum, loco citato memorat is scriptor, ibidem etiam Movianum ac deinde in Indice historico Moveanum appellat. Verum, etsi Moveus abbas a Moveano abbate diversus, uti ob jam dicta credimus, haud sit, sibi tamen locum inter Sanctos in Opere nostro haud exigit. Præterquam enim quod ipsemet Colganus, qui Moveum abbatem cum Moveano abbate eundem et jam dictis facit, de hujus cultu, uti apud nos ad dictum VIII Septembris diem in Prætermissis invenies, dubitasse videatur, Moveus abbas nec Vitam habet sibi propriam, nec in aliis, quæ nota ac fidei probata sint, Sancti cujuscumque Actis vulgo notis memoratur; tales autem, qui sanctitate in Hibernia seu, uti olim vocabatur, Scotia clarissime perhibentur, in Opere nostro referre inter Sanctos decessores nostri, quorum vestigiis inherere fixum est, haud solvere.

Bernardi episcopi et confessoris mentio fit in Mss. Cartusie Bruzelliensis ad Grevenum Additionibus; verum quis is sit, nemo sane, cum nihil plane, unde notus evadat, addatur, facile divinet.

Diodorus et Andromeda in Ms. Sirmondi Synaxario et in Mss. itidem Florentie penes Dominicanos exstantibus, in quibus tamen pro Andromeda legitur Andromachus, Menæis Græcis hodie absque ullo adjecto elogio occurrunt; verum Magnis Menæis excusis, Basiliano et Sirlitano Menologiis omnibusque aliis tum Latinorum, tum Græcorum atque etiam Russorum Fastis sacris plane sunt ignoti.

Etelburgam, alias Edelburgam et Tate dictam, Northumbrie in Anglia reginam, a VII ad VIII Septembris diem, ab hac ad IV Octobris et inde demum huc in Prætermissis remisimus, posteriori isto loco indicantes fore, ut et hæc hodie, si de cultu ejus constitisset, cum Edwino seu Eduino rege, marito suo, daretur; verum cum tunc desiderata, quibus is probetur, argumenta reperire nondum licuerit, reginam istam, veluti Sanctam aut Beatam, in Opus nostrum inferre nondum etiam possumus, etsi interim nonnulla ejus gesta, quæ cum Eduini regis, hic infra inter Sanctos referendi, gestis sunt connexa, minime simul silentio præterituri.

Priscus presbyter, Thermantia ejus uxor, filia Christis et ancilla Victuria martyrium hac die cum S. Hedisto seu Hedesto, infra inter Sanctos

hic dando, subisse in quibusdam hujus Actis penes nos exstantibus memorantur; verum, cum aliunde noti haud sint, nec, ut aliquando in rerum natura existitisse absque scrupulo credantur, Acta illa, utpote vel nullo vel certe exiguo duntaxat, uti in Hedistio mox dicto docebimus, in pretio habenda, sufficiant, Sanctis eos in Opere nostro hic accensere non audeamus, id interim facturi, si e fingendi licentia haud natos vereque sanguinem pro fide effudisse, solide nobis quis probarit.

S. Symperti episcopi hodie meminit Grevenus; etsi autem sedem, quam is occupavit, haud indicat, non dubito tamen, quin de S. Symperto, Augustano episcopo, loquatur. Verum de hoc cum pluribus aliis hagiologis acturi in Opere nostro sumus ad diem, ad quam, cultui ejus sacram, a I et XXIII Aprilis remissus jam pridem per decessores nostros fuit.

XIII Octobris. Gerbrandum, Clari-Campensis, quod in Frisia, ut Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum 1218, cap. 6, num. 6 et Casario Histerbacensi docet, situm erat, cenobii abbatem Fusciniaci in Picardia, ubi obiit, hodie cum Beati titulo in Sanctis ac Beatis Cisterciensibus signat Chalemotus; verum de eo, si cultus publicus probari, quod hactenus non puto, sufficienter queat, tractari commodius poterit ad diem, quo in pluribus aliis Fastis sacris memoratur, XIII Octobris.

SS. Edistium, Evagrius et Priscianus Galesinius hodie Romæ annuntiat, ibidemque trium horum Martyrum posteriores duos hodie pariter signat Martyrologium Romanum hodiernum; verum hi una cum sociis in Syria, ut Baronius in suis in id Annotationibus observat, passi esse in aliquibus codicibus leguntur; hisce autem assentiendum apparet, ut mox dicam, cum nonnulla de Edistio, Romæ pariter, ut modo insinuavi, per Galesinium annuntiato, præmiserem. Martyrologus isthic annuntiationi mox datæ, qua Edistium, cum Evagrio et Prisciano conjunctum, Romæ signat, mox subjungit hanc alteram:

Ravennæ via Laurentia sancti idem Edistii martyris, qui in postrema illa Diocletiani rabie, fidei confessione insigniter nobilitatus, martyrii cursu confecto, coronatur; ita autem duos, quorum alter Romæ, alter Ravennæ martyrio coronatus sit, Edistios distinguit. Verum an recte? Alii e Fastis sacris antiquis Romæ, alii Ravennæ Edistium consignant; verum hinc, ut consideranti patescet, consecrarium, contra, ac existimavit Galesinius, non est, ut duos stant Edistios diversos, sed tantum ut vel id præsent, vel ut Edistio, quem memorant, veram non omnes palæstram attribuant; esse autem hoc postremum admittendum, seu, ut clarius loquar, in Fastis sacris antiquis, ac nominatim in Epternacensi Hieronymiano apographo, in quo juxta ac a Rabano non Ravennæ, sed Romæ Edistius signatur, veram huic palæstram haud attribui, palam facient, quæ infra inter Sanctos de Edistio sumus dicturi. Modo ad Evagrius et Priscianum, hodie, ut jam dictum, tam in Martyrologio Romano hodierno, quam a Galesinio annuntiatos, progredior. Nullus omnino Sanctus, seu

Evagrii

- A** Evagrii aut Evacri, seu Prisciani appellatione distinctus, qui hodie Romæ martyrio fuerit affectus vel cultu ecclesiastico aliquando gavisus, in Monumentis, Hieronymianorum antiquitatem æquantibus, invenitur; quare Evagrium Romæ perperam signari eundemque esse reor cum Evagrio seu Evacro, Hieronymianis aliquot apographis seu codicibus hodie inscripto, de quo juxta ac de S. Proseria et eorum Sociis, non Romæ, sed, quemadmodum, teste e dictis Baronio, in aliquot codicibus, Hieronymianis nempe, legitur, in Syria passis, hic infra inter Sanctos sumus acturi; quod autem ad S. Priscianum spectat, puto et hunc Romæ perperam signari, ac porro esse eundem cum Prisciano, qui una cum Eucaristo et Fortunato seu potius Fortunata hodie et in Appendice ad Adonem et in Lucensi apud Florentinum Hieronymiano apographo annuntiatur ac Campaniæ adscribitur; uti autem de duobus hisce Sanctis, ita etiam de S. Prisciano, tractaturi in Opere nostro ob rationem inferius mox allegandam sumus ad diem
xiv Octobris.
- B** SS. Eucaristum seu Evaristum, Fortunatum seu potius Fortunatam et Priscianum MM. Lucense apud Florentinum Hieronymianum apographum hodie in Campania annuntiat; verum hi Sancti, qui vel omnes vel partim in Corbeiensi et Epternacensi Hieronymianis apud eundem Florentinum apographis hodie etiam comparent, in Martyrologio Romano hodierno cum fratre suo Carponio signantur ad diem, quo proinde una cum hoc in Opere nostro dandi sunt,
xiv Octobris.
- S.** Callixtum seu Calestum Papam, quem Epternacense, sed corrupte, ut opinor, Colestum appellat, Romæ hodie signant Lucense et Corbiense apud Florentinum majora Hieronymiana apographa eique tam hæc, quam Epternacense, socium adjungunt Saturnum. Verum quis hic? Id aliaque ad Callixtum Papam spectantia examinantur ad diem, quo sanctus hic Pontifex Martyrologio Romano hodierno exstat inscriptus, inferendusque proinde in Opus nostrum erit, diem scilicet
xiv Octobris.
- C** Cosmas Poeta in Græcorum, quod in linguam Latinam Genebrardus vertit, Kalendario, in Menologio Slavo-Russico penes nos Ms., itemque in alio, quod Græcorum Horologion seu diurnale, anno MDCVII excusum, sibi intextum habet, Menologio hodie recolitur. Haud videtur alius, quam Cosmas Melodus seu Hymnographus, Majumenus episcopus, de quo in Opere nostro, nisi quid obstat deprehendatur, magis opportune cum Magnis Græcorum Menæis excusis et Menologio Sirletiano tractari poterit die
xiv Octobris.
- Remis, sancti Donatiani episcopi, cujus corpus Brugis in sui nominis ecclesia cathedrali quiescit. Ita hodie Martyrologium Parisiense anno MDCXXVII excusum. Nos de sancto isto Remensi episcopo, a decessoribus nostris die xxx Augusti, qua a Molano aliisque ejus translatio recolitur, inter Prætermisissos jam relato, acturi sumus ad diem, ad quam et abs illis ibidem fuit rejectus et Martyrologio Romano hodierno exstat inscriptus, scilicet
xiv Octobris.
- S.** Margaretæ virginis Coloniensis commemoratio in Pertica cœnobio, ubi corpus ejus servatur, apud Chalemotum hodie occurrit. Martyr e societate Ursulana, ni fallor, designatur; quare de ea agi poterit ad diem, qua sancta Ursula cum suis colitur,
xxi Octobris.
- S.** Anastasiam Virginem Martyrem Basilianum et Sirletianum Menologia, Ms. penes nos exstans Sirmondi Synaxarium Græcum, Magnaque Græcorum Menæa excusa, quibus et hic presse pro suo Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, inhæret, hodie celebrant; ex elogiis autem quibus id faciunt, fit perspicuum, sanctam illam Virginem et Martyrem, quam inde in Martyrologium a se contextum Galesinius et ex hoc in generalem suum Sanctorum Catalogum Ferrarius hac pariter die intulit, diversam non esse a S. Anastasia virgine et martyre Romana, Senioris titulo distingui solita, de qua cum Martyrologio Romano hodierno acturi sumus ad diem, xxviii Octobris.
- Anianum episcopum primo ac dein Noamatum episcopum hodie Grevenus et Florarii nostri Ms. auctor annuntiant, nihil omnino addentes, unde sat certo, quinam Episcopi isti sint, intelligas; verum xvii Novembris die Aurelianus Anianum episcopum primo ac post Viennæ (Allobrogum nempe) Mamatum episcopum, qui, quemadmodum Ferrarius in generali Catalogo ibidem recte observat, Namatus etiam aut Namatus (addi potest et Noamatus) vocatur, commemorant. Quid si ergo plures Fastos sacros, quorum alii quidem, omisso, alii vero expresso, quo Anianus et Mamatus seu obiissent seu colantur, loco, binos hosce antistites annuntiabant, sibi prælucentes habuerint, hincque et simul ex eo, quod in eorumdem Fastorum aliis Mamatum, in aliis vero Namatum seu Noamatum, unius ut minimum litterulæ intercedente inter utrumque nomen discrimine, annuntiarum cermerent, quatuor diversos memorari antistites perperam rati, horum quidem duos, una cum loco, quo obiissent seu colantur, annuntiatos, xvii Novembris, duos vero reliquos, absque loco isto memoratos, xii Octobris die, pro arbitrio assumpta, retulerint? Id sane, cum non raro fiat, ut plures nominis ejusdem Sancti una eademque die colantur, facileque factum esse queat, ut Grevenus et Florarii nostri auctor Mamatum episcopum a Noamato episcopo, quem hodie celebrant, ob unius alteriusve litterulæ, quod inter duo ista nomina intercedit, discrimen existimarint diversum, haudquaquam mihi apparet vero absimile. Ast, etsi sic habeat ac proin Anianus et Noamatus episcopi, quorum hodie Grevenus et Florarii nostri Ms. auctor mentionem instituunt, verosimiliter sint SS. Anianus Aurelianensis et Mamatus seu Naamatus Viennensis in Galliis episcopi, de hisce tamen inter Sanctos in Opere nostro acturi sumus, non hic, sed ad diem, quo colantur, xvii Novembris.
- In Butera, in ecclesia S. Joannis Baptistæ, Translatio reliquiarum S. Anastasiæ. Ita hodie in Martyrologio Siculo Octavius Cajetanus, non addens, Anastasiæ virginis martyris hic supra memoratæ, an Anastasiæ martyris, quæ ad xxv Decembris Martyrologio Romano hodierno

A exstat inscripta, reliquæ sint. Quod si hæc, non tertiæ cujuspiam Anastasiæ, sed alterutrius e jam dictis esse, ab eruditis Siculis tempestive fuerimus edocti, de earumdem translatione, quam e Martyrologio Siculo et ecclesiæ Buterensis Mo-

numentis Ferrarius etiam in Catalogo generali hodie celebrat, agi apud nos poterit ad diem, vel qua prior e duabus illis Martyribus, in Opus nostrum inferetur, xxviii Octobris, vel qua de posteriori tractabitur, xxv Decembris.

DE SS. EVAGRIO, PROSIRIA SEU PROSERIA, BURRO ET DONATO SEU DONATA MARTYRIBUS.

IN SYRIA.

AUCTORE
C. B.
B

Ex Hieronymianis apographis et aliis Fastis sacris.

SECCULO
INCERTO.

Sanctos, in Hieronymianis tabulis hodie confusos, Castellanus in tres classes dividens,

In Lucensi apud Florentinum Hieronymiano apographo sequentes hodie leguntur annuntiationes: In provincia Sirie sanctorum Evacri et Profini. In Egypto Eustasi presbyteri. In Campania civitate natalis sanctorum Eucaristi. Fortunati. Prisciani. Ab Hieronymiano isto apographo Hieronymianum apographum aliud, Corbeiense nempe, quod apud eundem Florentinum, itemque apud Dacherium, exstat, in eo fere dumtaxat differt, quod paulo aliter, quam illud, Sanctorum aliquot nomina efferens, in Campania præterea, vocabula civitate omisso, solos absque Prisciano Eucharistum et Fortunatum seu Fortunatam commemoret; verum a duobus jam dictis Hieronymianis apographis quam maxime discrepat vetustissimum, quod apud laudatum Florentinum pariter exstat, Antverpiense seu Epternacense Hieronymianum apographum: id enim sic habet: In Syria Eustati presbyteri et Eucaristi, Burri, Donatæ. Et in Campania Patra civitate Fortunatæ, Evagri et Proseriæ, Fortunati, Prisciani. Qui binas hæc annuntiationes cum annuntiationibus, quas alia duo mox laudata Hieronymiana apographa, Corbeiense videlicet et Lucense, suppeditant, contulerit, is certe, tabulas Hieronymianas hodie quam maxime esse turbatas, perspiciet. Castellanus, quo Sanctos in hisce confusos distinguat, hosce hodie in Martyrologio suo Universali, apposita in margine nota, in tres classes diversas partitur. Ac harum quidem priori, quam in Syria, SS. Evagrium et Proseriam martyres, secundæ, quam in Ægypto, S. Eustatium seu Eustachium presbyterum, ac tertiæ denique, quam in Campania collocat, SS. Eucharistum seu Evaristum et Fortunatum seu Fortunatam Martyres adscribit; verum an sic, quod voluit is martyrologus, assecutus sat feliciter est?

in horum posteriori Evaristum seu Eucharistum et Fortunatum,

2 Etsi SS. Carponius et Priscianus SS. Evaristo et Fortunata, uti ad xiv, quo de hisce agendum, mensis hujus diem dicenda monstrabunt, sint addendi, recte tamen, uti ex ibidem etiam allegan-

dis patescet, binos hosce postremos Sanctos in Campania, utpote eo e martyrii sui palæstra translatos, consignat Castellanus. In Palæstina quidem, quæ pro Syria parte a geographis habetur, Evaristus et Fortunata cum Prisciano sunt passi; verum hinc illos ad eandem, ad quam, qui in Syria passi, Evagrius et Proseria spectant, Martyrum classem certo spectare, argui non potest; unane enim cum hisce, an non, sanguinem pro Christo in Syria effuderint, est admodum dubium. Eucharistum quidem seu Evaristum Martyribus in Syria passis, Epternacense supra laudatum Hieronymianum apographum accenset; verum id in Campania quoque consignat Evagrius et Proseriam, quos tamen ibidem vel passos, vel, facta eorum ad regionem illam reliquiarum translatione, quiescere nemo dixerit. Ad hæc cum a veritate etiam, dum Hedistum, Ravennæ e dicendis passum, Romæ attribuit, aberret, fidem quoque, dum Evaristum, veluti una cum Martyribus, quos in Syria locat, pro fide occisum memorat, haud meretur.

3 Jam vero, cum sic habeat, est sane, cur Evaristum et Fortunatam ad aliam, quam ad quam Evagrius et Proseria spectant, Martyrum classem spectare, cum Castellano existimemus. Quod modo ad Eustachium seu Eustatium pertinet, hunc quoque non ad hanc spectare seu non in Syria, sed in Ægypto signandum esse, ea iis, quæ infra de eo, veluti de particularis classis Sancto, alleganda hac die sunt, studiosus lector intelliget. Nunc specialim magis ad Sanctos, supra in titulo propositos sermonem converto. Evagrium quidem et Proseriam Castellanus loco supra citato in Syria recte collocat; hosce enim ibidem Hieronymiana apographa supra laudata, si unum Epternacense, in quo perperam e dictis Campania attribuantur, exceperis, consignant, nec ut Martyrologio Romano hodierno, Evagrium et Priscianum eorumque, ut ait, socios, Romæ signanti, fidem adhibeam, laudatis a Galesino, utpote quæ ætatis ac fidei plane incertæ sint, Mss. moveri queo. At vero, etsi quidem recte e jam dictis

SS.

seu Fortunatam.

F in secunda Eustachium seu Eustatium, in prima Evagrius et Proseriam recte collocat;